

- 40) s. EA VI 2, 1991 Art. 456                      41) s. ebenda 1922 Art. 67  
 42) Ergnzt aus StA AG 2499, 75<sup>V</sup>  
 43) Dieser war damals allerdings nicht Berner Tagsatzungsgesandter. Auch  
 in StA AG 2498, 262<sup>V</sup> wird bei diesem Geschft kein von Muralt erwhnt.  
 44) s. EA VI 2, 1997 Art. 17                      45) Der Betrag fehlt.

AH 113, 309-328 - Blatt 309<sup>V</sup>, 321<sup>V</sup>, 327<sup>V</sup> und 328<sup>F</sup> leer

## 111

1579 Februar 28., Prag

A

"CAESAREA CONFIRMATIO<sup>1</sup> JNVESTITURARUM, SEU NOVA JNVESTITURA  
 FEUDALIS STATUS MEDIOLANI FACTA PER JMPERATOREM RUDOLPHUM  
 [SECUNDUM] IN POTENTISSIMUM REGEM [VON SPANIEN] PHILIPPUM  
 SECUNDUM, ET SUCESSORES TAM MASCULOS, QUAM FOEMINAS"

"Rudolphus secundus Divin favente Clementi electus Romanorum Jmpera-  
 tor<sup>2</sup> semper Augustus, ac Germaniae, Ungariae, Bohemiae, Dalmatiae,  
 Croatiae, Slavoniae etc. Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Bra-  
 bantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Moraviae etc. Dux  
 Lucenburgiae, ac Superioris et inferioris Silesiae, Viertenbergae,  
 Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi,  
 et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Jmperij Burgo-  
 viae, ac superioris, et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Slavo-  
 niae, Portus Naonis, et Salinarum etc. Cm Divus quondam Jmperator Ca-  
 rolus Quintus, Augustae memoriae Patruus, Avus maternus [- Rudolfs  
 Mutter war Maria von Spanien, die Gattin des 1576 verstorbenen Kaisers  
 Maximilian II. -], et praedecessor noster observandissimus, Superiori-  
 bus annis devoluto ad Maiestatem Suam, et Sacrum Romanum Jmperium ple-  
 no jure, per obitum Jllustris quondam Francisci [II.] Sfortiae [=Sfor-  
 za im Jahre 1535], Mediolani Ducis absque Haeredibus Legitimis, et  
 feudi capacibus, eiusdem Mediolanensis Stats, et Ducats, ac perti-  
 nentiarum, utili dominio, volens, et cupiens securitati et incolumita-  
 ti eius status qum posset rectissim consulere, et talem Principem ei  
 praeficere, qui sacri Romani Jmperij jus, et proprietatem auctoritate,  
 potentia, et iuribus tueri, et conservare, subditos ver in pace, et  
 iustitia regere, et gubernare posset, [1556] eundem Ducatum, statum,  
 et Dominium Mediolanense ex supr dictis, et alijs rationabilibus cau-  
 sis cum Comitatibus Papiae et Angleriae, ac omnibus eorum pertinen-  
 tijs, et juribus Filio suo [d.h. von Karl V.] charissimo Serenissimo  
 Principi Domino Philippo [II.], Hispaniarum, utriusque siciliae et  
 Hierusalem etc. Regi Catholico, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae et  
 Mediolani, Avunculo, Sororis, et Fratri nostro charissimo [- Phi-

lipp II. war der Bruder der Mutter Rudolfs II. -], motu proprio, et quòd nullum magis utilem, convenientem, ac idoneum ad eiusdem status, ac jurium Sacri Imperij in eo defensionem comperiret, paternè contulerit, atque donaverit, et postmodum Serenitatè eius de dictis Ducatu Mediolani, ac Comitatus Papiae et Angleriae, eorumque omnium pertinentijs universis; quae ad dictos Ducatum, et Comitatus tunc spectabant, seu olim spectaverant, seu pertinuerant, Ducibusque et Comitibus praedictis competiverant, seu etiam competere deberent, de jure vel consuetudine, vel aliter quamadmodumque iuxta formam Investiturarum antiquarum, et cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis, Libertatibus, Et Exemptionibus in antiquis Investituris latius expressis, non tam pro serenitate sua, quàm etiam eiusdem filijs Masculis ex legitimo matrimonio [- v.a. ist hier der Nachfolger Philipps II., der 1578 geborene König Philipp III. aus der Ehe mit Anna von Oesterreich, gemeint -] procreatis, ac procreandis, et alijs descendantibus, qui è Serenitate sua et filijs eius legitimis masculis legitimi nascerentur secundum Ordinem geniturae, et eiusdem Feudi naturam infeudaverit, et investiverit: postea verò cùm existimaret omnibus modis prospiciendum, ut futuris contentionibus, et differentijs, quae inter Successores oriri possent, omnis occasio praecluderetur, in ipso statu Mediolani, et Comitatus supràdictis talem succedendi rationem, et formam, constituerit, per quam Status ille cum omnibus Suis pertinentijs in perpetuum integer, et indivisus conservaretur, ita, ut neque Successorum pluralitate, neque competitorum ambitione, vel contentione distrahi, sive discerpi quòdque posset, nimirum ut ipsi Serenissimo Regi Philippo, in dictis Ducatu, et Comitibus succederent filius eius primogenitus masculus, et legitimus, eiusdemque primogeniti primogenitus masculus legitimus, et sic ordine succesivo de primogenito in primogenitum Masculum descendantem usque in infinitum; deficientibus autem primogenitis masculis, succederet secundogenitus masculus legitimus [- Philipp III. war tatsächlich der zweitgeborene Sohn, denn sein einziger Bruder, der Infant Karl, konnte, da er bereits 1568 starb, nie die Königswürde erlangen -], eius Secundogeniti primogenitus masculus, et ab eo descendentes masculi primogeniti [Philipps III. erstgeborener Sohn war dann König Philipp IV.] usque in infinitum, si masculus aliquis fuerit superstes, idem etiam de tertio, et quarto genitis intelligendo, ordine primogeniturae semper servato. Deficiente verò linea masculina succedere deberet filia primogenita, eiusdemque primogenitae primogenitus masculus, eiusque descendentes masculi ordine suprà dicto usque in infinitum, eodem successionis Ordine in secundo, tertio, et quarto genitis filiabus, earum denique descendantibus primogenitis servato, prout in Diplomate ipsius quondam Divi Caroli desuper edito, ac inferiùs inserto latius continetur.

Defuncto autem praelibato Divo quondam Imperatore Carolo Quinto [im Jahre 1558] Divus quoque Imperator **Ferdinandus [I.]** inclytæ recordationis Dominus, et Avus Paternus noster [- Rudolfs Vater war Kaiser Maximilian II. -] observandissimus ad benevolam, et studiosissimam petitionem dicti serenissimi Hispaniarum Regis Fratris nostri Charissimi, insistendo vestigijs prænominati Divi Patri sui Caroli Quinti, non solum denuò investiverit, et infeudaverit eundem Serenissimum Regem Philippum pro se et Filijs suis masculis ex legitimo Matrimonio procreatis, et procreandis, alijsque descendentibus ex serenitate eius, et Filijs eius legitimis legitimè secundum Ordinem geniturae nascituris, de dictis Ducatu Mediolani, et Comitatus Papiæ, et Angleriae, eorumque omnium pertinentijs, prout constat ex rescripto Maestatis suae, quod datum fuit in nostra Imperiali Civitate Augusta Vindellicorum die ... [27.] mensis Februarij anno Domini ... [1559], verum etiam praememoratam extensionem à Divo Patruo nostro, quoad modum, et formam successionis factam laudaverit, approbaverit, gratificaverit, confirmaverit, et corroboraverit, sicuti apparet in Diplomate desuper emanato, cuius tenor sequitur in haec verba...[:]

Ferdinandus Divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae etc. Rex, Jnfans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Moraviae, Dux Lucemburgiae, ac Superioris, et inferioris Silesiae, Viertelbergae et Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi et Goritiae, Landgravius Alsaciae, Marchio Sacri Romani Imperij Burgoviae, ac Superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchio Slavoniae, Portus Naonis, et Salinarum etc. ad futuram rei memoriam. Recognoscimus, et notum facimus tenore praesentium universis, quod Serenissimus Princeps Dominus Philippus Hispaniarum, utriusque Siciliae, et Hierusalem Rex catholicus Nepos noster charissimus nobis benevolè exponendum curaverit, se superioribus annis à praeclarissimae memoriae quondam Imperatore Carolo Quinto Augusto fratre, ac Domino nostro charissimo investitum fuisse de Ducatu Mediolani, et Comitatus Papiæ, et Angleriae, pro se, ac legitimis haeredibus suis masculis, prout etiam nos Investituram illam proximis annis confirmavimus, et innovavimus, dictoque Ducatum, et Comitatus Serenitati eius pro se, ac filijs masculis legitimis secundum Ordinem geniturae, et naturam Feudi in Feudum contulimus. Postea autem cùm praefatus Divus quondam Frater noster censisset omnibus modis prospiciendum, ut futuris contentionibus, et differentijs, quae inter succesores oriri possent, omnis occasio praecluderetur, eundem Divum Fratrem nostrum talem in ipso statu Mediolani, et Comitatus praedictis succedendi rationem et Formam constituisse, per quam status ille cum omnibus suis pertinentijs, et

*in perpetuum integer, et indivisus conservaretur, ita, ut neque successorum pluralitate, neque competitorum ambitione, vel contentione distrahi, suae discerpi quândoque posset, nimirum, ut ipsi Serenissimo Regi Philippo in dictis Ducatu, et Comitatus succederent Filius eius primogenitus masculus, et legitimus, eiusdémque primogeniti primogenitus masculus legitimus, et sic ordine successivo de primogenito in primogenitum masculum descendentem usque in infinitum. Deficientibus autem primogenitis masculis, succederet secundo genitus masculus legitimus, eiusdémque secundo geniti primogenitus masculus; et ab eo dependentes masculò primogeniti usque in infinitum. Si masculus aliquis fuerit superstes, idem etiam de tertio, et quatuorogenitis intelligendo, Ordine primogeniturae semper servato. Deficiente vero linea masculina succedere deberet Filia primogenita, eiusdémque primogenitae primogenitus masculus, eiusque descendentes masculi ordine suprädicto usque in infinitum, eadem successionis ordine in secundo, tertio, et quatuorogenitis filiabus, earúmque descententibus primogenitis servato, prout in diplomate ipsius quondam divi Caroli desuper edito latius continentur, cuius est tenor talis ...[:]*

*Carolus Quintus divina favente Clementia Romanorum Jmperator Augustus, ac Rex Germaniae, Castellae, Arragoniae, Legionis, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Navarrae, Granatae, Toleti, Valentiae, Gallitiae, Marioricarum, Hispalis, Sardiniae, Cordubae, Corsicae, Maritiae, Giennis, Algarbij, Algezirae, Gibraltharis, ac Jnsularum Balearium, Jnsularum Canariae, et Jndiarum, ac Terrae firmae, Maris Oceani etc. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgiae, Lucemburgiae, Geldriae, Viertenbergae, Calabriae, Athenarum, Neopatriae etc. Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Barchinoniae, Arthois, et Burgundiae, Comes Palatinus Hanoniae, Holandiae, Zelandiae, Ferreti, Kiburgi, Namurii, Rosiglionis, Ceritaniae, et Zutphaniae, Landgravius Alsatiae, Marchio Burgoviae, Oristani, et Gotiani, et Sacri Romani Jmperij, Princeps Sueviae, Cathaloniae, Dominus Frisiae, Marchiae, Slavoniae, Portus Naonis, Biscaiae, Malinae, Salinarum, Tripolis, et Mecliniae etc. ad futuram rei memoriam. Recognoscimus pro nobis, et nostris in imperio successoribus, et notum facimus harum serie universis. Quòd cum superioribus annis Jllustris quondam Franciscus secundus Sfortia [Sforza] Mediolani Dux, quem paulò antè [d.h. 1529] in universum Dominium, et Statum Mediolani Dei auspicijs in nostrum Sacri Romani Jmperij Jus, et potestatem armis nostris iuste, ac legitimè receptum, restitueramus [- 1526 war er von Kaiser Karl V. aus dem Herzogtum vertrieben worden -], et in Feudum illi contuleramus, nullo haerede Feudi capace [1535] post se relicto, sic deo disponente, in fata concesserit, eâque de causa ipso statu ac Dominio Mediolanensi ad nos, et Sac-*

rum Romanum Imperium pleno jure devoluto, ut eius securitati, et simul Sacri Imperij Juribus, atque adeo totius Italiae paci opportunè consuleretur, quod fieri nullo modo posse iam tum experientia edocti cernebamus, nisi status ille tali committeretur, qui jus Imperij, et suum viribus, et potentia, ubi opus esset, tueri, atque defendere posset, cùm omnibus circumspectis nullum alium magis commodum ab eam rem, et statum inveniremus, iam dictum statum, et Dominium Mediolani ac Comitatus Papiae, et Angleriae [1554] Serenissimo Principi Domino Philippo [II.] Principi Hispaniarum, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Mediolani, etc. Principi, et Filio nostro charissimo in Feudum contulimus, et dilectionem suam de illo investivimus, tanquam eum, qui nobis meritò prae Caeteris gratus esset, et quem ad defensionem praefati statûs, et Jurium Sacri Imperij in eo ex causis praenarratis meritò magis idoneum iudicasset, quemadmodum ex literis nostris Super ea re expeditis apparet.

Quoniam autem non minus sollicitè curandum est, quibus rationibus, quae immenso sumptu, et labore paratae sunt, conserventur, id verò potissimum in eo consistere iudicemus, si futuris contentionibus, et differentiis, quae inter Successores oriri possent, omnis occasio praecludatur. Proinde operae pretium visum est, in ipso statu Mediolani certam succedendi Formam ex nunc constituere, quo nimirum ille cum suis omnibus appertinentiis in omne aevum integer, et indivisus permaneat, ac neque Successorum pluralitate, neque competitorum ambitione, ac contentione distrahi, atque discerpi quandoque possit. Quapropter motu proprio, non per errorem, aut improvidentiam, sed animo benè deliberato, sano et maturo Procerum nostrorum et Imperij sacri fidelium accedente consilio, praefatique Serenissimi Principis Filij nostri charissimi consensu, et voluntate interveniente ex certa Scientia, et Imperiali auctoritate nostra, ac de plenitudine potestatis, harum literarum serie, ac vigore decernimus, ordinamus, atque statuimus, hoc imperiali Edicto perpetuò valituro, quod in praedicto statu, et Dominio Mediolani, Comitatusque Papiae et Angleriae, cum universis eorum juribus, et pertinentiis ex hoc tempore in antea perpetuis futuris temporibus succedat, et succedere debeat, praefati Serenissimi Filij nostri Hispaniarum Principis primogenitus masculus legitimus, ex eo descendens, eiusdemque primogeniti primogenitus masculus legitimus, et sic ordine succesivo de primogenito in primogenitum masculum descendentem usque in infinitum. Deficientibus autem primogenitis masculis succedat, et succedere debeat in praedicto Ducatu, et statu Mediolani, Comitatusque Papiae, et Angleriae cum eorum pertinentiis secundogenitus masculus legitimus, ejusdemque secundo geniti primogenitus masculus, et ab eo descendentes masculi primogeniti usque in infinitum. Quando aliquis masculus superstes fuerit, illud idem intelligendo de

tertio, et quarto genitis masculis ordine primogeniturae Semper salvo, et servato. Deficiente vero linea masculina succedat, et succedere debeat in dicto Mediolanensi Dominio, et Comitatus Papiæ, et Angleriae cum eorum pertinentijs Filia primogenita, ejusdemque primogenitæ primogenitus masculus, eiusque descendentes masculi ordine suprâ dicto usque in infinitum, atque eadem lex idemque Ordo Successionis intelligatur, et servetur in secundo, tertio, et quarto genitis Filiabus, earumque descendentes primogenitis, ita, ut alij Filij, aut aliae Filiae nullum jus prætere possint ad dictos Ducatum, et Comitatus, sed Solùm alij Fratres, et descendentes masculi legitimi habeant, et habere possint, ac percipiant ab ipsis primogenitis alimenta condecencia, iuxta gradûs dignitatem, filiabus autem, si quas habere contigerit, easque nuptui tradi, condecienti dote, prout gradus earum conditio requirat, prospiciatur, et honesta Sustentatione alantur, quibus ita præstitis decernimus ipsos, et ipsas debere tacitos, et tacitas, atque contentos, et contentas esse ipsis super caeteris, quae successionem huiusmodi Ducatûs Dominij, et status Mediolani, et Comitatum, ac pertinentiarum prædictarum concernunt, perpetuum silentium imponentes.

Quae quidem omnia præmissa facimus, constituimus, ordinamus et sancimus motu, animo, consilio, Scientia, auctoritate, et potestate prædictis eaque perpetuò firma, et valitura decernimus, non obstante lege, et forma prædictæ nostræ Investiturae præfato Serenissimo Filio nostro Philippo Hispaniarum Principi concessæ, ac non obstantibus quibusvis alijs Investituris per nos, aut Divos prædecessores nostros Romanorum Imperatores, et Reges Augustæ Memoriae Illustribus quondam Mediolani Ducibus, sub quâcunque verborum Formâ concessis, sive etiam donatione, et Investiturâ nostrâ primævâ ipsi serenissimo Principi Filio nostro collata, naturæ ipsius Feudi, Ducatûs, Comitatum prædictorum, nec non Legibus, Constitutionibus, consuetudinibus, Feudorum Decretis tam Mediolanensis Dominij, quàm alijs statutis, privilegijs, concessionibus tam Generalibus, quàm particularibus, et alijs in contrarium Facientibus, quibuscunque, etiamsi talia forent, quae hic de verbo ad verbum inserere oporteret, aut de eis Facere mentionem specialem, quibus omnibus, et singulis eorum tenorem hic pro insertis, et sufficienter expressis habentes, et haberi volentes, quatenûs obstant, seu quavis modo obstare possent huic nostræ constitutioni, Ordinationi, dispositioni, atque decreto pro hac vice, et ad hunc effectum duntaxat expressè derogamus, et derogatum esse volumus, scientia, auctoritate, et potestate prædictis. suppletentes omni tam juris, quàm facti, et cuiusvis Solemnitatis tam intrinsecæ quam extrinsecæ aut formalis, quae servari debuisset, et non esset servata, et alij cuiusque defectui, qui in præmissis quovis modo intervenisset, aut in-

tervenisse dici, seu allegari posset, nostra tamen, et Imperij Sacri Superioritate, et feudali obsequio semper Salvis, et hac lege adiecta, ut quicumque in praefato Ducatu, et Statu Mediolani, Comitatusque Papias et Angleriae successerit, sive masculus, sive foemina fuerit, quod ille vel illa eosdem Ducatum, et Comitatus à nobis, et successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, et Regibus, masculi quidem per se, foeminae verò mediante persona legitimi Procuratoris, aut Feudogeneruli, ad gerendum, aut deserviendum Feudum apti et idonei in Feudum recognoscere, Investituram (quoties casus postulaverit) petere, et debitum fidelitatis, et Homagij Juramentum praestare teneatur. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc nostrae Constitutionis, Ordinationis, Decreti, derogationis, suspicionis, voluntatis, et praecepti paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, aut contra praemissa, vel aliquod eorum Favore, vel venire quovis quaesito colore, ingenio, seu praetextu; si quis autem secùs attentare praesumpserit, nostram, et Imperij Sacri indignationem gravissimam, ac poenam decem millium Marcharum iuri puri, toties, quoties contrafactum fuerit, se noverit eo ipso incurrisse, quorum dimidiam Imperiali Fisco, seu Aulario nostro, reliquam verò dimidiam parti laesa decernimus absque ulla remissione applicandum, ratis nihilominùs, ac in suo robore, et vigore manentibus omnibus dispositionibus nostris praemissis. Harum testimonio Literarum manu nostra subscripturum, et Bullae nostrae aureae appenditione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellensi Ducatus nostri Brabantiae die ... [12. Dezember 1549], Imperij nostri trigesimo, et Regnorum nostrorum trigesimo quarto.

Dictusque Serenissimus et Charissimus Nepos noster Rex Catholicus nos amanter rogaverit, ut huius modi successionis formulam ipsi quoque auctoritate nostra Caesarea approbare, ratificare, confirmare, et corroborare vellemus. Nos sanè huiusmodi Filiali petitioni eiusdem Serenissimi, et Charissimi Nepotis nostri Regis Catholici haud gravatim annuimus, qui alioquin etiam Serenitati eius pro mutua nostra arctissima Sanguinis coniunctione, omni loco, et tempore lubenter gratificamur; tum Divi Patris sui causa, cuius Fraternalis in nos dilectionis memoria nunquam ex animo nostro evelletur, tum etiam quod serenitatis suae plurima, et praeclarissima extent erga Sacrum Romanum Imperium merita, habitaque ratione, quòd Serenitas eius hactenus in dicto statu Mediolanensi Jus, et proprietatem eiusdem Sacri Imperij summis viribus tueri, et conservari studuerit, et deinceps quoque idem longè faciliùs, et commodius praestare poterit non Solum ipsamet Serenitas Sua, verùm etiam haeredes, et Successores Sui, se suprascripta ratio, et forma Successionis observetur. Ita que ex certa nostra Scientia, animoque bene deliberato, et de Caesareae nostrae potestatis plenitudine memoratam Divi Fratris nostri Constitutionem, et formam Successionis in

praeinserto Diplomate descriptam, omniâque, et singula in eo rescripto  
 contenta in omnibus eorum punctis, Clausulis, articulis, Sententijs,  
 et verborum expressionibus, prout superius inserta habentur, laudavi-  
 mus, approbavimus, ratificavimus, confirmavimus, et corroboravimus,  
 prout per praesentes laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus,  
 et corroboramus; Valentes, ac decernentes ex omnia, et singula in per-  
 petuum rata, grata, valida, et firma esse, nec non censi, atque ob-  
 servari debere, non obstante Lege, et forma Jnvestiturae, per nos dic-  
 to Serenissimo, et Charissimo Nepoti nostro Catholico Hispaniarum Regi  
 antehac concessae, quae data fuit in nostra Jmperiali Civitate Augusta  
 Vindelicorum die ... [27. Februar 1559], neque etiam obstantibus qui-  
 busvis alijs Jnvestituris per praelibatum quondam Jmperatorem Carolum  
 Quintum, aut alios Divos praedecessores nostros Romanorum Jmperatores,  
 ac Reges Augustae Memoriae, sive eidem Serenissimo Regi Philippo, sive  
 Jllustribus quondam Mediolani Ducibus, sub quacunqve verborum forma  
 concessis, et praesertim primaeva Jnvestitura, quam serenitati eius à  
 saepè nominato Divo parente Svo collatum esse liquet, seu natura ip-  
 sius Feudi Ducatus, et Comitatum praedictorum, necnon Legibus, Con-  
 stitutionibus, Consuetudinibus, Feudorum Decretis tam Mediolanensis  
 Dominij, quàm alijs statutis, Privilegijs, Concessionibus tam genera-  
 libus, quàm particularibus, et alijs in contrarium Facientibus quibus-  
 cunqve, etiamsi talia forent, de quibus hoc loco specialis mentio fie-  
 ri deberet, ijs namque omnibus, et singulis, quatenùs huic nostrae  
 confirmationi, Dispositioni, et Decreto obstarent, seu quovis modo ob-  
 stare possent, pro hac vice, et ad hunc effectum duntaxat expresse de-  
 rogamus, et derogatum esse volumus, Scientia, et Auctoritate praedic-  
 ta. Supplentes omni tam juris, quam facti, et cuiusvis Solemnitatis  
 tam intrinsecae, quàm extrinsecae, aut formalis, quae servari debuis-  
 set, et non esset servata, et alij cuicunqve defectui, qui in praemis-  
 sis quovis modo intervenisset, aut intervenisse dici, seu allegari  
 posset, nostra tamen, et Jmperij sacri Superioritate, et Feudali obse-  
 quio semper Salvis. Hac quoque lege, quam adiecit Divus Jmperator Ca-  
 rolus Quintus, reservata, et illaesa, ut quicunqve in praedicto Duca-  
 tu, et statu Mediolani, Comitatusque Papiae, et Angleriae successe-  
 rit, sive Masculus, sive Foemina fuerit, quod is, vel ea eadem Duca-  
 tum, et Comitatus à nobis, et Successoribus nostris Romanorum Jmpera-  
 toribus et Regibus, masculi quidem per se, Foeminae verò mediante Per-  
 sona legitimi Procuratoris, aut Feudo Geruli, ad gerendum, aut deser-  
 viendum Feudum apti, et idonei in Feudum recognoscere, Jnvesturam  
 (quoties Casus postulaverit) petere, et debitum fidelitatis, et Homa-  
 gij Juramentum praestare teneatur. Nulli ergo hominum liceat hanc  
 nostrae approbationis, ratificationis, confirmationis, corroboratio-  
 nis, decreti, derogationis, Suppletionis, voluntatis, et praecepti pa-

ginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire, aut contra praemissa, vel aliquod eorum facere, vel venire quovis quaesito colore, ingenio, seu praetextu, si quis autem secús attentare praesumpserit, nostram, et Jmperij Sacri indignationem gravissimam, et poenam ... [10'000] Marcharum auri pari toties, quoties contrafactum fuerit, se noverit eo ipso incurrisse, quarum dimidiam partem Jmperiali Fisco, seu Aerario nostro, reliquam verò dimidiam parti laesae decernimus, absque ulla remissione applicandam, ratis nihilominus, ac in Suo robore, et vigore manentibus omnibus dispositionibus superius descriptis. Harum testimonio Literarum manu nostra Subscriptarum, et Caesarei Siggilli nostri appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Viennâ die ... [5. Januar 1564], Regnorum nostrorum Romani ... [34.] aliorum verò ... [38.].

Parrò sublato etiam ex hac vita [1564] in Caelestem Patriam Divo Domino Avo Paterno nostro Jmperatore Ferdinando [I.] Felicis memoriae Maiestatis Suae Successor Divus Jmperator Maximilianus Secundus Dominus, et Genitor noster observandissimus Augustae memoriae dictam Jnvestituram unâ cum confirmatione extensionis praeinsertae laudaverit, confirmaverit, et renovaverit, prout patet ea Maiestatis Suae Diplomatæ dato in Civitate nostra Vienna die ... [6. Juli 1565];

Nunc verò posteaquàm eiusdem Divi Genitoris nostri obitu [1576], Sacri Romani Jmperij gubernacula Divina voluntate ad nos devoluta sunt, praedictus Serenissimus, et Charissimus Frater noster Rex Catholicus, ne ullo unquam tempore videretur ijs, quae Serenitati Suae incumbunt erga nos, et sacrum Romanum Jmperium defuisse, nos medio, et operâ nobilis sincerè dilecti Don Joannis de Borgia sui Consiliarij, et ad nos destinati Oratoris, atque mandatarij, et procuratoris fraternè, ac singulari studio rogaverit, ut Serenitatem Suam pro se, et liberis, haeredibus, et Descendentibus suis de suprâ nominatis statu, et Ducatu Mediolani, et Comitatus Papiæ, et Angleriae, eorúmque omnium pertinentijs universis benevolè investire, et infeudare, omniaque et singula in memoratis Divorum Caroli Quinti, Ferdinandi, et Maximiliani, ac aliorum Praedecessorum nostrorum literis, et Jnvestituris concessa, facta, disposita, declarata, atque decreta, et praesertim superiùs descriptam extensionem, ac succedendi Formam auctoritate nostra Caesarea ratificare, approbare, confirmare, et corroborare vellemus. Nos sanè hac Fraternali, et studiosissima petitione praefati Serenissimi, et Charissimi Fratris nostri Regis Catholici intellectâ, eidem haud gravatim annuendum duximus, considerata non modò arctissima Sanguinis, et affinitatis coniunctione, quae inter nos, et Serenitatem eius intercedit, et meritò apud nos quoque loco, et tempore plurimum utique momenti habere debet, sed potissimùm etiam eximia auctoritate, et potentia Serenitati eius à Deo omnipotente concessa, quae prae caeteris Regi-

bus, atque Principibus Jus, et proprietatem Sacri Romani Imperij in dicto statu, et Ducatu Mediolani tueri, et conservare valet, prout certè Serenitas eius in Sacrum Romanum Imperium, utpote cuius Serenitas Sua amplissimum, et fidelissimum est membrum, plurima, ac praeclarissima extant merita, neque dubitandum est, Serenitatem Suam eundem animum, ac idem studium, eandemque alacritatem in procurandis, promovendis que ijs, quae ad commodum, ac beneficium Sacri Imperij, et totius Christianitatis pertinent, deinceps quoque omni loco et tempore declaraturam, ac omnes Suas cogitationes, omnesque curas eò relaturam, ut Imperio Romano, ac universae Reipublicae Christianae non minori praesidio, quàm ornamento semper fuisse videatur. Quocircá cupientes tam praeclarae dicti serenissimi Regis erga nos, et Sacrum Imperium voluntati, et egregijs meritis mutua nostra Caesarea, et Fraternalis benevolentia respondere, ex certa nostra Scientia, animòque benè delibato, ac de Caesareae nostrae potestatis plenitudine, Sano quoque accedente consilio, saepe dictum Serenissimum Regem Philippum Catholicum, Avunculum, Sororium, et Fratrem nostrum charissimum tanquam Mediolani Ducem pro se et filijs, haeredibus, ac Succesoribus Suis ex legitimo matrimonio procreatis, ac procreandis ... alijs descendenti- bus, qui ex Serenitate, et Filijs eius legitimis legitimè nascentur, iuxta Ordinem primogeniturae à Divo Carolo Quinto institutum, et per Divum parentem nostrum confirmatum infeudavimus, et investivimus, nec non infeudamus, et investimus tenore praesentium de dictis Ducatu Mediolani, necnon Comitibus Papiiae et Angleriae, eorúmque omnium pertinentijs universis, quae in praesenti ad dictos Ducatum, et Comitatus spectant, seu olim spectaverunt et pertinuerunt, Ducibusque et Comitibus praedictis competiverunt, vel etiam competere deberent de jure, vel de consuetudine, vel aliter quomodocunque iuxta Formam Investiturarum antiquarum, et cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis, libertatibus, exemptionibus in eisdem antiquis Investituris latiùs expressis, quas hic (in quantum opus est) pro repetitis haberi volumus, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insertae essent. Recepto tamen prius à suprà nominato Serenitatis Suae Oratore, procuratore, ac Mandatario ad id sufficienti mandato instructo, debito, ac solito Fidelitatis, et homagij nomine, et in animam Serenitatis Suae corporali Juramento. Ad haec Scierit, deliberatè, ac consultò, et de Caesareae potestatis nostrae plenitudine omnia, ac singula in memoratis Divorum quondam nostrorum magni Patruis, Avorum, et Genitoris, aliorúmque praedecessorum nostrorum literis, et Investituris contenta, et nominatim, ac praecipuè supra insertam extensionem et succedendi Ordinem, et modum à Divo quondam magno Patruo, et Avo materno nostro Carolo Quinto institutum, atque per Divos Avum paternum, et Genitorem colendae memoriae Ferdinandum [I.], et Maximilianum secundum Imperato-

res confirmatum, et corroboratum, nos quoque in omnibus eorum punctis, Clausulis, articulis, sententijs, et verborum expressionibus laudavimus, approbavimus, ratificavimus, confirmavimus, et corroboravimus, prout per praesentes laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, et corroboramus, et quatenus opus est, et expedit, in Favorem saepèdicti Serenissimi Regis Hispaniarum, eiúsque Haeredum, et Descendentium praedictorum de novo concedimus, facimus, disponimus, instituimus, declaramus, et decernimus; Volentes, et hoc nostro Caesareo Edicto firmiter statuentes, et Sancientes, quod ea omnia, ac singula in perpetuum rata, grata, valida, et firma esse, atque censeri, et observari debeant, non obstante lege, et Forma Investiturae eidem Serenissimo, et Charissimo Fratri et Avunculo nostro à Divo Ferdinando, Avo nostro antehàc concessae, neque obstantibus alijs Investituris per praelibatum quondam Imperatorem Carolum Quintum, aut alios Divos praedecessores nostros Romanorum Imperatores, ac Reges felicitis recordationis, sive eidem Serenissimo Regi Philippo, sive Illustribus quondam Mediolani Ducibus, sub quacunque verborum forma concessis, et praesertim investitura, quae Serenitati eius à Saepè nominato Divo parente, Suo collata fuit, seu Natura ipsius Feudi Ducatus, et Comitatum praedictorum, vel quibuslibet Legibus iuribus, Consitutionibus, consuetudinibus, statutis, ac feudalibus Decretis tam Domini Mediolanensis, quàm alijs sive generalibus, sive particularibus, statutis, privilegijs, et concessionibus, et alijs quibuscunque concessis, vel concedendis in contrarium facientibus, aliter disponentibus, vel aliam Formam dantibus, vel etiam aliquid pro Solemnitate requirentibus, etiam si talia Forent, de quibus hoc loco specialis mentio fieri deberet, ijs námque omnibus, et singulis (quatenus huic nostrae infeudationi, Investiturae, Declarationi, Confirmationi, Dispositioni, et Decreto obstant, seu quovis modo obstare, eiusque vim, et effectum impedire, sive elidere possent) pro hac vice, et adhuc duntaxat effectum expresse derogamus, et derogatum esse volumus, Scientia, et auctoritate praedicta. Supplentes omnibus tam juris, quàm facti, et cuiusvis Solemnitatis tam intrinsecè, quam extrinsecè, aut Formalis, quae servari debuisset, et non esset Servata, et alijs quibuscunque defectibus, si qui in praemissis quovis modo intervenissent, aut intervenisse dici, aut allegari possent, nostra tamen, et Imperij Sacri superioritate, et Feudali obsequio semper salvis, hac quoque Lege, quam adiecit Divus Imperator Carolus Quintus reservata, et illaesa, ut quicumque in praedicto Ducatu, et Statu Mediolani, Comitatusque Mediolani Comitatusque Papiae, et Angleriae successerit, sive masculus, sive foemina fuerit, quod is vel illa eosdem Ducatum, et Comitatus à Nobis, et successoribus nostris Romanorum Imperatoribus, et Regibus, masculi quidem per se, Foeminae vero mediante persona legitimi procuratoris, aut

*Feudogeruli, ad gerendum, aut deserviendum Feudum apti, et idonei, in Feudum recognoscere, Investituram (quoties casus postulaverit) petere et debitum fidelitatis et homagij Juramentum praestare teneatur. Committentes quoque, et expresse iniungentes Gubernatori, Praesidi, et Senatui, ac Universis, et Singulis Mediolani, Papiae, et Angleriae, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Clientibus, Vasallis, Officialibus, et Ministris, Caeterisque Civitatum, et locorum, et Terrarum totius Ducatus, et status Mediolani, et Comitatum Papiae, Angleriaeque Subditis, et alijs nostris, et Imperij Sacri Fidelibus dilectis, cuiuscunque praeeminentiae, dignitatis, status, gradus, Ordinis, aut Conditionis existant tam praesentibus, quàm futuris, ut praefatum Serenissimum Regem Hispaniarum, Avunculum, Sororium, ac fratrem nostrum Charissimum, eiusque haeredes, et descendentes antedictos tanquam Suos veros, Ordinarios, et legitimos Principes, et Dominos recipiant, et agnoscant, eisque consuetum homagium, et fidelitatem praestent, eorum praeceptis, et jussionibus reverenter, et firmiter (ut par est) pareant, atque obediant, aliisque omnia, et singula praestent, et faciant, quae fideles Vasalli, Officiales, et subditi suis Naturalibus veris, et legitimis Principibus, et Dominis Facere, et praestare tenentur de jure, consuetudine, aut privilegio speciali. Praeterea mandamus quoque omnibus, et singulis Electoribus, et alijs Principibus, Ecclesiasticis, et Saecularibus Sacri Romani Imperij, necnon quibuscunque alijs Praelatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Praefectis, Gubernatoribus, Potestatibus, Magistratibus, Consulibus, Judicibus, Civibus, Communitatibus quarumcunque Civitatum, Oppidorum, Terrarum, et locorum, et denique omnibus alijs nostris, et sacri Romani Imperij Subditis, et fidelibus dilectis, cuiuscunque status, gradus, praeeminentiae, dignitatis, Ordinis, et Conditionis Fuerint, praesentibus, et futuris tam Italiae, quàm Germaniae, aut alterius cuiscunque de Sacro Romano Imperio dependentis provinciae, sub poena banni Imperialis, necnon privationis, et amissionis omnium, et Singulorum Privilegiorum, Regalium Feudorum, et honorum, quae à Divi Praedecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus, et Regibus, ac nobis, et sacro Romano Imperio quovis modo obtinent, ut ipsum Serenissimum Regem Hispaniarum etc. Avunculum, ac fratrem nostrum charissimum, eiusque haeredes, et descendentes iuxta praescriptum Ordinem successuros in memorata donatione, concessione, extensione, dispositione, et declaratione Divi Caroli Quinti Magni Patruis, et Avii nostri, per Divos Dominos Avum paternum, Genitorem, et praedecessores nostros (ut superius demonstratum est) confirmata, et hac nostra dictione Ducatus, Comitatum, pertinentiarum, et jurium praedictorum infeudatione, Investitura, confirmatione, approbatione, declaratione, dispositione, et Decreto, aut in aliqua eorum parte im-*

pediant, perturbent, molestant, aut gravent, sed illis omnibus, et singulis liberè, et pacificè secundum eorum Formam, et tenorem uti, frui, et gaudere sinant, et contrarium ne Faciant, nec fieri procurent, aut permittant directè, vel per indirectum, quovis quaesito colore, ingenio, seu praetextu, quatenùs poenas supradictas, et praeterea mulctam mille Marcharum auri puri maluerint evitare, quàm quilibet contrafaciens toties, quoties contrafactum fuerit, ultra poenas supràmemoratas ipso facto se noverit irremisibiliter incurrisse. Quarum dimidium Jmperiali Fisco, seu aerario nostro reliquum verò parti laesae decernimus applicandum. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum. Datum in Arce Nostra Regia Praegae die ... [28. Februar 1579], Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungaricè Septimo, et Bohemici ibidem quarto. Signat Rudolfus. Vice ac nomine Reverendissimi Domini D. Danielis [Brendel von Homburg] Archiepiscopi, Archicancellarij [des Röm. Reiches], et Electoralis Moguntini. Svielxuser[?]<sup>3</sup>. D. Ad mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium. Obernburger. Coll.<sup>ta</sup> etc. Registrata Buttiner. Cum sigillo Caesareo pendente in Capsula lignea."

- 1) Dieses Dokument erlangte dann 1700, als Beat Kaspar Zurlauben Zuger Stadt- und Amtsrat war, in Zusammenhang mit der Erbfolge des kinderlos gebliebenen Königs von Spanien, Karl II., einige Bedeutung. Sowohl Oesterreich wie auch Frankreich erhoben Anspruch auf den span. Thron. Bezüglich der Verleihung von Mailand durch den Kaiser an den span. König s. insbes. Aretin/Das Reich 101-111. Bemerkenswert ist, dass laut Mitteilung von Dr. Gottfried Mraz, Direktor des Haus-, Hof- und Staatsarchivs in Wien, nachstehender Text in den dortigen Beständen nicht aufgefunden werden konnte. Das vorliegende 1579 ausgestellte Dokument könnte evtl. mit der in diesem Jahr erfolgten Verlobung Kaiser Rudolfs II. mit der span. Infantin Isabella Klara Eugenia, Tochter König Philipps II., in Zusammenhang stehen. Zu einer Verheiratung kam es allerdings nicht, s. Vocelka/Rudolf II. 174ff.
- 2) Die zahlreichen nachfolgenden Titulaturen Kaiser Rudolfs II. werden zwar hier im Text wiedergegeben, nicht aber ins Register aufgenommen. Das gleiche gilt für die weiter unten genannten Kaiser Ferdinand I. und Karl V. sowie König Philipp II.
- 3)

*Svielxuser. D. Ad mandatum Sacrae Caesareae Majestatis*

Kopie, möglicherweise vom Zuger Dekan Johann Jakob Schmid [gest. 1696] AH 113, 329-335 - Blatt 335<sup>v</sup> leer